

minum pars extincta & è medio sublata fue-
rit. Simile quoddam exemplum nobis oc-
currit in hac nostra civitate antehac ferè in-
auditum, in Ornatissimo optimæq; spei ado-
lescente, GEORGIO SCHONERO
Argentoratensi, ante biëniū Classis in Aca-
demia nostra tertiæ discipulo diligentissimo:
qui propter incertum quoddam morbi ge-
nus, hætenus privata & domestica institu-
tione tantum effecit: ut eorum quidem ju-
dicio, quibus ipsius profectus in studijs co-
gniti atq; perspecti sunt, ad lecti ones publi-
cas pro hoc tempore cum laude promoveri
potuisset, si lucis hujus vsura diutiùs ei con-
cessa fuisset. Hic præterita die Martis, preci-
bus suis matutinis, lectione Biblica consue-
ta, alijsq; literarum & bonarum artium ac di-
sciplinarum studijs absolutis, horâ primâ po-
meridianâ per serpentem extinctus miserri-
mè vitam suam finire coactus fuit. An in ipsi-
us corpore hætenus latuerit serpens, incer-
tiq; illius morbi causa extiterit, nunc exitum
quærendo bonum hunc adolescentem oc-
ciderit: an verò aliundè tale aliquid contige-
rit: optimè noverunt ij, quibus circumstan-
tiæ magis cognitæ atq; perspectæ sunt, A ser-
pente